

## DE CONSERVANDA

per diuersas terras oberrantibus, uariog; potu utentibus, iuxta uersiculos Macri.

Allia qui mane ieiuno sumpserit ore,  
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum,  
Nec diuersorum mutatio facta locorum.

Allium præterea contra uiperarum ictus, & priuatum hæmorrhoi prodest, ita ut non aliud magis, si cum uino iugiter adsumatur, aut tritum in eodem ebibatur. Contra rabiosorum morsus & illitu cibo ualet, teste Diosco. Auicenna uerò lib. 2. Tract. 2. cap. 75. Confert inquit, puncturæ uermium uenenosorum, & morsui serpentum, quando bibitur cum uino: & nos quidem iam experti sumus. Et similiter Cepe, morsui canis rabidi. Cepe quoq; iuxta Auic. 2. Can. cap. 123. confert morsui canis radibi, cum linitur super ipsum aqua eius, aut emplastratur ex eo, cum sale & ruta. Et cepe, quod comeditur expellit nocuum mentum uentositatis uenenosorum. Et dixerunt quidam, quòd ipsum generat in stomacho humorem humidum plurimum frangente nocuum mentum uenenosorum.

Notandum tamen, allium, cepe, & porrum, in cibo non competere, neq; temperatis, nec calidis corporibus, & imprimis cruda: Parum enim & malè nutriunt, sanguinem generant acrem & pungitiuum, crassos tamen humores extenuant, & uiscosos incidunt: decocta uerò, pungendi quidem uim exuunt, incidendi tamen & extenuandi retinent. Vnde cocta magis competunt quàm cruda. Porrum calidum est